

## ARTICULUS V

*Utrum concilium generale sit infallibile in definiendis quæstionibus fidei et morum?*

Dico : Concilium generale legitime congregatum et confirmatum a summo Pontifice, est infallibile in definiendis quæstionibus fidei et morum.

*Prob. 1<sup>o</sup>* iis omnibus quibus probavimus dissert. III, art. 5, Ecclesiam universam; sive credentem, sive docentem, non posse errare; est enim concilium generale ipsa universa Ecclesia representativa.

*Prob. 2<sup>o</sup>* ex iis omnibus quibus probavimus infallibilitatem summi Pontificis; quia, si concilium a summo Pontifice confirmatum errare posset, sequeretur quod ipse Pontifex erraret confirmando definitiones erroneas.

*Prob. 3<sup>o</sup>*. Si concilium generale a summo Pontifice confirmatum errare posset, nihil haberemus certum et fixum in Ecclesia, cum iudicio talis concilii generalis non detur majus et certius.

[Item, omnes hæreses conciliis generalibus damnatæ reviviscerent; dicerent enim hæretici concilia a quibus sunt damnati errasse, vel saltem quæstionem non diremisse. Item, non certo nobis constaret utrum sint canonici libri quos concilia definierunt esse canonicos: unde tota subrueretur fides et religio. Item, Ecclesia fuisset huc usque in errore intolerabili, proponens ut de fide credenda a conciliis generalibus definita, quæ possent esse falsa.]

*Obj.* : Aug., lib. II *contra Donat.*, c. 3, n. 4, dicit concilia plenaria priora posse emendari a posterioribus. Ergo ea agnoscit fallibilia.

*Resp. Nego* conseq. in sensu conclusionis. Loquitur enim ibi Augustinus de conciliis plenariis, non in quæstionibus fidei et morum, de quibus procedit conclusio; sed in

factis particularibus, in quibus fatemur concilia plenaria ex falsis testimoniis errare posse, ideoque et conciliis posterioribus posse emendari, nempe « cum, ut ait ibidem S. Doctor, aliquo experimento rerum aperitur quod clausum erat, et cognoscitur quod latebat. »

[*Petes* utrum concilia veritates novas et nondum in Ecclesia receptas definiant.

*Resp. negative.* Definitio a concilio generali edita, nihil aliud est quam determinatio authentica veritatis alicujus quæ semper et ubique ut doctrina certa fuit ab Ecclesia universali habita, ita ut eo ipso constet hanc doctrinam ad depositum revelationis divinæ pertinere. Dictum est supra, Ecclesiam universalem, in qua fideles computandi sunt ut pars essentialis, esse infallibilem passive, seu in credendo, ita ut, si error in rebus fidei et morum aliquos et etiam multos infecerit, totam Ecclesiam nec majorem partem Ecclesiæ commaculare non possit, cum *Ecclesia Dei vivi sit columna et firmamentum veritatis*, I *Tim.*, III, 15. Si ergo aliqua de his rebus suboriatur controversia, quæ sine animarum detrimento tolerari non debeat, authoritative declaratur, sive a Papa solo, sive ab Ecclesia docente, id est ab episcopis cum Papa in concilio judicantibus, quid Ecclesia universalis semper tenuerit ut verum quantum ad quæstionem agitatam, et hac definitione edita, tenendum est doctrinam sic solemniter propositam tamquam de fide credendam esse.

Hoc luculentissime exponitur a Vincentio Lirinensi in suo *Commonitorio*, lib. I, c. 32 : « Quid unquam aliud conciliorum decretis enisa est Ecclesia, nisi ut quod antea simpliciter credebatur, hoc idem postea diligentius crederetur; quod antea lentius prædicabatur, hoc idem postea instantius prædicaretur; quod antea securius colebatur, hoc idem postea sollicitius excoleretur? Hoc, inquam, semper, neque quicquam præterea, hæreticorum novitate excitata, conciliorum suorum decretis catholica perfecit Ecclesia, nisi ut quod prius a majoribus sola traditione susceperat, hoc deinde posteris etiam per scripturæ chi-

chirographum consignaret, magnam rerum summam paucis litteris comprehendendo, et plerumque, propter intelligentiæ lucem, non novum fidei sensum novæ appellationis proprietate signando. »]

## ARTICULUS VI

*Utrum concilium generale debeat necessario confirmari a summo Pontifice?*

Dico : Confirmatio summi Pontificis debet necessario accedere concilio generali, ut sit ratum et firmum.

*Prob. 1<sup>o</sup>* ex Julio I, Pelagio II et synodo quarta, quorum textus citavimus art. 4 hujus dissert., juxta quos nullum concilium est ratum et firmum, nisi autoritate Romani Pontificis fulciatur. Media autem confirmatione fulcitur.

*Prob. 2<sup>o</sup>* ex usu et praxi Ecclesiæ. Omnia concilia generalia huc usque celebrata, fuerunt confirmata a summo Pontifice, et plura ejus confirmationem petierunt. Hoc autem apertum est indicium hanc confirmationem existimatam fuisse necessariam; alioquin ut quid tam accurate, tam constanter data, et toties petita?

*Prob. 3<sup>o</sup>*. Concilium generale non est ratum et firmum in suis decretis, nisi quatenus repræsentat Ecclesiam universam. Atqui non repræsentat Ecclesiam universam, nisi caput suum Romanum Pontificem secum judicantem habeat, nec censetur Romanus Pontifex judicare, nisi dum concilii decreta confirmat. Ergo.

Verum statim occurrit difficultas non levis. Concilium generale legitime congregatum assidentibus et judicantibus cum concilio legatis apostolicis, qui vices Romani Pontificis gerunt et ejus nomine præsent, repræsentat universam Ecclesiam; est enim suo capiti unitum. Ergo hoc ipso ejus decreta sunt rata et firma, nec indigent ulteriore confirmatione Pontificis.

Ad hujus difficultatis enodationem, observandum est, legatos apostolicos mitti ad concilia, aliquando cum ins-

tructione summi Pontificis circa quæstiones definiendas, quod fieri solet quando pauca sunt definienda; aliquando sine instructione, quod contingit quando plura sunt definienda, ut in concilio Tridentino. Hac observatione præmissa, ad difficultatem propositam

*Resp. 1<sup>o</sup>* Si legati habeant instructionem et eam non sequantur definiendo cum concilio, definitio non est rata et infallibilis; cum enim non agant tunc ut legati Pontificis, concilium non est, in definiendo, suo capiti junctum, nec consequenter repræsentat Ecclesiam.

*2<sup>o</sup>* Si vero sequantur adamussim suam instructionem, arbitramur, quidquid dicant aliqui, definitionem concilii esse ratam et infallibilem, quia tunc habet junctum suum caput, nempe summum Pontificem expresse secum consentientem, et sic totam Ecclesiam repræsentat.

Neque dicas hanc Pontificis instructionem non esse definitionem ex cathedra, alioquin non essent libera episcoporum suffragia; solam autem definitionem Pontificis ex cathedra esse infallibilem. Fateor equidem hanc instructionem, dum datur, non esse definitionem ex cathedra, sed dum illi consentit concilium, et secundum illam formatur decretum, incipit esse definitio ex cathedra, estque sententia definitiva, non concilii tantum, sed etiam Pontificis, quam retractare non potest. Sic enim mittuntur legati, ut si concilium instructioni assentiat, formetur decretum; si non assentiat, suspendatur decretum, et interim consulatur Pontifex.

Nihilominus in hoc casu existimamus necessariam esse confirmationem summi Pontificis, non ut decreta concilii acquirant infallibilitatem, quam jam habent, sed ut innotescat Ecclesiæ omnia in concilio rite fuisse servata, et juxta instructionem et mentem Pontificis decreta fuisse formata: quod aliter certo sciri non potest, cum quandoque legati, præter instructiones publicas, habeant secretas, quas forte non exhibuerunt, aut saltem non exhibere poterant.

*3<sup>o</sup>* Si vero adsint legati concilio sine instructione summi

Pontificis, quidquid definit concilium, etiam iis assentientibus, non est infallibilis autoritatis, nisi accedat confirmatio summi Pontificis; quia Pontifex non potest conferre legatis privilegium infallibilitatis. Est enim annexum summo pontificatui, seu dignitati capitis et supremi pastoris Ecclesiae, pro quo solo Christus oravit, ut non deficeret fides; non potest autem Papa legatos constituere summos Pontifices et supremos Ecclesiae pastores.

*Confirm.* Legati cum instructione Pontificis possunt ab illa recedere et errare. Ergo pariter errare possunt sine instructione.

Verum redit *argumentum* prius factum. Concilium legitime congregatum, praesidentibus apostolicis legatis, repraesentat universam Ecclesiam. Atqui universa Ecclesia errare non potest. Ergo.

*Resp. Dist. ant.* Concilium legitime congregatum, praesidentibus legatis apostolicis, repraesentat universam Ecclesiam incomplete et imperfecte, *conc.*; complete et perfecte, *nego*. Nondum enim habetur consensus capitis cum corpore, siquidem legati, quamvis nomine Pontificis praesideant, non sunt tamen caput et Pontifex cum privilegio infallibilitatis, et ipse nondum mentem suam aperuerit circa definita.

*Petes* quot sint concilia generalia.

*Resp.* viginti vulgo numerari: octo celebrata in Oriente, scilicet Nicænum, cui adjungitur Sardicense, Constantinop. I, Ephesinum, Chalcedonense, Constantinop. II, Constantinop. III, Nicænum II et Constantinop. IV; undecim celebrata in Occidente post schisma Photii, scilicet quatuor Lateranensia, duo Lugdunensia, Viennense, Constantiense, Florentinum, Lateranense V et Tridentinum. Quidam addunt Pisanum.

[Tempore magni schismatis, convocatum fuit a cardinalibus utriusque obedientiae, et congregatum Pisis, anno 1409, hoc concilium, ad extinguendum schisma per electionem Pontificis cujus autoritas ab universali Ecclesia

agnosceretur. Verum nec inde malum fuit sublatum, quin potius auctum; duobus enim pontificibus Gregorio XII et Benedicto XIII in retinendo pontificatu pertinacibus adjunctus est tertius, scilicet Alexander V, et pax reddita non fuit Ecclesiae nisi per electionem Martini V in concilio Constantiensi factam.

Quidam hoc concilium a numero generalium expungunt, quia non fuit autoritate Pontificis convocatum. Sed videtur quod, in casu schismatis, quando est dubius Pontifex, Ecclesia habeat jus convocandi concilium, si non ad ultimatè definiendas res fidei et morum, saltem ad providendum sibi de certo capite, ut factum est in sequenti concilio Constantiensi: alioquin Christus non satis providisset necessitati et securitati suae Ecclesiae.

Si concilium istud legitimum fuerit, propter necessitatem praesentem, ratio praecipua cur inter concilia generalia non adnumeretur communiter, videtur esse quia, schismate non extincto, illi defuit approbatio modo consueto data a Pontifice certo, qua deficiente, concilium, quantumvis legitimum sit, œcumenicitate formali caret.

Vigesimum est concilium Vaticanum, a Pio IX convocatum per litteras die 29 junii 1868 datas. Fuit apertum die 8 decembris 1869, in festo Immaculatae Conceptionis Deiparae Virginis, et suspensum ab eodem Pontifice, propter « luctuosam rerum conditionem, » die 20 octobris 1870. « Ideirco, inquit Pontifex in litteris apostolicis, nos eo res adductas magno cum animi nostri mœrore perspicientes, ut Vaticanum concilium tali in tempore cursum suum omnino tenere non possit, praevia matura deliberatione, motu proprio, ejusdem Vaticani œcumenici concilii celebrationem usque ad aliud opportunius et commodius tempus per hanc Sanctam Sedem declarandum apostolica autoritate, tenore praesentium, suspendimus et suspensam esse nuntiamus, Deum adprecantes authorem et vindicem Ecclesiae suae, ut, submotis tandem impedimentis omnibus, Sponsae suae fidelissimae ocius restituat libertatem et pacem. » — Faxit Deus ut, sedata tandem tempestas

tate qua undique quatitur Ecclesia, sacrosancta hæc synodus, iterum in Spiritu sancto congregata, opus fauste inceptum et luctuose interruptum ad optatum exitum feliciter perducatur!]

## TRACTATUS DE SPE

### DISSERTATIO UNICA

D. Thomas, a q. 17 ad q. 22.

### ARTICULUS I

*De spe secundum se et de ejus objecto.*

Spes generaliter sumpta est « motus appetitivæ partis in bonum futurum arduum seu difficile, possibile tamen adeptu. » Theologicæ sumpta, est « habitus animi divinitus infusus per quem certa cum fiducia æternæ vitæ bona, auxilio divino obtinenda, expectamus. » Potest considerari cum charitate, et dicitur spes formata, vel sine charitate, et dicitur spes informis, sicut dictum est de fide.

*Petes 1º* utrum spes christiana informis sit virtus.

*Resp.* Spes informis est virtus, sed imperfecta <sup>1</sup>.

Ratio primæ partis est, quia spei christianæ etiam informi convenit definitio virtutis; est enim bona qualitas menti a Deo infusa, qua bene vivitur et nemo male utitur ut principio.

Ratio secundæ partis est, quia spes sine charitate non facit hominem simpliciter bonum; licet enim sit principium actus boni, non tamen meritorii in ordine ad finem ultimum, vitam scilicet æternam: ideoque non habet statum et modum perfectæ virtutis, sicut ante diximus de fide informi.

1. Hic q. 17, a. 1, o.